



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

7. Cognitio & amor omnipotentiae.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

est in caelo, & à Te quid volui super terram?
Psal. 72. 24.

II. Amo Te; Magnus enim es Tu, Domine Deus meus, & immensus, nec est finis magnitudinis tuae. S. Aug. soliloq. c. 21.

III. Nil magnum, nil altum, nil gratum vel acceptum sit tibi, nisi purè Deus, aut de Deo sit. Thom. Kemp. L. 2. c. 5.

PASSUS VII.

Cognitio & Dilectio omnipotentiae Dei.

TEXTUS.

Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius. Eccli. 43. 31.

Cognitio.

I. **TU** mi Deus potentiae es infinitae, quae potes omnia, quae mens creata potest concipere, infinitos caelos, mundos, angelos, populos, aurum, argentum & lapides pretiosos, his similes aut dissimiles. Omnipotens manus tua semper una & eadem creavit in caelo Angelos, & in terra vermiculos;

culos ; non superior in illis , non inferior in istis : sicut enim nulla alia manus Angelum , ita nulla posset creare vermiculum : sicut nulla calum , ita nulla posset creare minimum arboris folium : sicut nulla corpus , ita nulla ullum capillum album posset facere aut nigrum ; sed omnipotens manus tua , cui cuncta pari modo sunt possibilis . S. Aug. soliloq. c. 9. O mirabilis potentia !

II. Tu es omnipotens , quia omnis vis & energia operandi à Te est , omnis vigor & vivacitas , quæ est in terra , mari , astris , lapidibus , herbis , animalibus , hominibus & Angelis , à Te est : nihilque est nisi tenuis omnipotentis tuæ participatio .

III. Tu es omnipotens , quia potes omnia producere ex nihilo , absque materia precedente , & omnia rursus annihilare , transmutare , confundere , sine alterius ope , sine labore , molestia , & temporis mora , solo verbo , nutu , voluntate , idque facilius , quàm nos vel verbum proferamus . Nec tibi facilius aut possibilis est creare vermiculum , quàm Angelum ; nec impossibilius extendere calum , quàm folium ; nec levius formare capillum , quàm corpus ; nec difficilius fundare terram super aquam , quàm aquam super terram , sed omnia , quæ omnipotentia tua voluit , fecit , sicut voluit , in cælo & in terra , in mari , & in omnibus abyssis . S. Aug. l. c. Di-

Dilectio.

Attonitus hæreo ac stupeo, Deus meus, cum omnipotentiam tuam considero, cui non est impossibile omne verbum. O si liceret mihi in potentias tuas ingredi, ut ibidem stupens & elinguis meipsum deperderem! Silentium meum, Domine, loquatur tibi, animique mei attoniti admiratio Te laudet, & deinceps omnino confidat tam incredibili potestati. Concede mihi cor, quod intimè gaudeat de tam potenti dominio tuo. Da linguam, quæ dignè laudet operum & beneficiorum tuorum magnitudinem; Téque dignissimum esse profiteatur, cui in omnibus, quæ revelas, credatur. Largire mihi sinum, in quem omnes miseras meas, quibus tu mederi potes, si vis, effundam. Ostende in me potentiam tuam, & dic, fiat lux: & fiet in anima mea lux, quâ cognoscam Te, & illustratus toto corde Te diligam.

Aspirationes.

I. Enarrate mirabilia ejus: quia non est alius Deus omnipotens, præter eum. Tob. 13. 4.

II. Omnipotens manus tua, Domine, omnia fecit in celo & in terra. S. Aug. solil. c. 9. Domine Domine noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. Psal. 8. 1.

III. Domine Deus omnipotens, si vis, potes me mundare: si vis, potes me illuminare, & amore succendere, ut diligam Te toto corde!

P A S S U S VIII.

Cognitio & Dilectio Sapientiae DEI.

T E X T U S.

Sapientiam Dei, præcedentem omnia, quis investigabit? Radix sapientiae, cui revelata est? Et astutias ejus, quis cognovit? Eccli. c. 1. 6.

Cognitio.

I. **T**U Domine, lumine infinitæ sapientiae tuæ, clarissimè cognoscis & comprehendis omnia. 1. Essentiam tuam infinitam. 2. Personas divinas, earumque processiones. 3. Omnia attributa tua & perfectiones. 4. Omnia alia possibilis. 5. Omnia præsentia, præterita & futura. 6. Omnia sub quavis conditione eventura. *Atque hæc omnia*